

III. MATERIÆ
EX ANIMALIBUS DESUMPTÆ.

ADEPS, seu pinguedo.

La GRAISSE.

Præcipuè *Porcina* in usu est, *Arvinam* dixere latini; vulgò *Axungia* dicitur, minus benè aptato nomine; præfertur autem pinguedo abdominalis Suis scrofæ, quam Gallicè diximus *Saindoux*. Eligitur libera partibus cellularum membranaceis, in quibus recondita fuit, nec non recens, coloris albi, odoris expers.

ALBUM Ceti; dixere veteres *Ceti Sperma*.

BLANC DE BALEINE ou *Adipocire*.

Materies est oleorum naturæ affinis, solida, alba; plerumquè coagmentata laminis quandoquè crystallorum speciem atque ordinem referentibus; tactu lubrica, dulcis gustu, si recens; olfactu injucundè inodora; concrecit in oleo Ceti cujusdam, cui nomen *Physeter macrocephalus*, in pluribus ossium cranii cavis totiusque corporis, teste Anderson, spatiisque cutis cellulosis concluditur, molle tunc et pellucidam, undè ubi diffluendo exclusum est, concrecit. Similem supeditare possunt et alia quoque Cete, sed multò minori copiâ.

Illi non absimilis credebatur illa materies, in quam putrescendo sub aquâ verti videntur materiæ multæ ex animalibus desumptæ.

AMBRA Cinerea.

L'AMBRE gris.

Concrementum mari inmatans, præsertim Africam et Asiam meridionalem alluenti, incertæ originis; an excrementum *Physeteris macrocephali*? Ambra levis est, coloris cinerei, maculis et striis ni-

grantibus notata. Ferro candenti calefacta gratum edit odorem: solvitur præsertim Æthere sulfurico, Alcoole et Oleis.

ASELLUS. *Vide* ONISCUS Asellus.

Le CLOPORTE.

BOMBYX Mori.

Le VERA SOIE.

Numeratur inter insecta lepidoptera, squamis scilicet alarum splendentibus. Folliculum textit ovatum, flavum albumve; præstare creditur quod flavum est.

Sal volatile ex destillato filo serico, seu Subcarbonas Ammoniacæ pyrogenæus oleosus animalis, in guttis Anglicis cephalicis admittebatur.

BUTYRUM.

Le BEURRE.

Unguedo à cremore lactis vaccini multâ agitatione secedens. Eligatur recens, odoris expers, sapore dulcis.

CANCER Astacus.

L'ECREVISSE.

Inter crustacea animalia numeratur (*decapodes, macroures*, Cuvier), capite et thorace unitis; quinque utrimque pedes; antici seu Chelæ forcipis formâ; cauda in articulos divisa. Flumina incolit.

Utuntur carne et concrementis *lapides* dictis.

CANCORUM concrementa vel Calculi.

PIERRES d'Ecrevisse; vulgò Yeux d'Ecrevisse.

Calculi sunt ventriculo *Cancris Astaci* utrimque adherentes; carbonate calcis multo, cum aliquo calcis phosphate constantes; duri, albi orbiculati, unâ parte compressi et excavati, alterâ convexi. Adulterati autem à genuinis, qui lamellis superpositis compinguntur, facile diguosci possunt.

CANTHARIS vesicatoria. Geoff. — Meloe vesicatorius. Linn. —

Lytta vesicatoria. Fabr.

La CANTHARIDE.

Insectum coleopterum oblongum, colore ex viridi aureo, nitorem me-

tallicum mentiente; odore acri, veluti piceo, sapore acerrimo. Non ejusdem semper est magnitudinis; præfertur verbò lineas octo vel novem longum, necnon et recens et integrum; mensibus junio et julio, dum fraxinum, syringam et ligustrum depascitur colligendum est.

CAPRA Ibex.

Le BOUQUETAIN.

Inter ruminantia, ad Caprarum refertur genus; ejus olim sanguis multi aestimabatur; in vesiculis concretus inter merces asportabatur. Hodie nullius est usus.

CASTOREUM.

Le CASTOREUM.

Hoc nomine designantur duo folliculi qui propè genitalia *Castoris Fibri*, sub cute reperiuntur, ovi gallinacei magnitudine, inæquales, materiam resinosa[m] continentes, odore gravi, nauseoso, ingrato; colore obscure rubro; sapore acri. Eligendum est Castoreum membranulis tenuioribus intertextum. Ex Siberiâ et Americâ septentrionali advehitur.

CERA flava.

La CIRE jaune.

Concreta materies, flavescens, ductilis ubi modicè digitis incaluit; si frigida sit fragilis, odore non ingrato; habetur ex liquatis apium alveis, ubi mel exemptum est.

Cera flava aquâ divisa, aëri exposita, flavo colore exiit et fit *Cera alba*.

CERVUS Elaphus. — Os CERVI, dictum Cornu Cervi.

CORNE ou Bois de Cerf.

Dicuntur Cornu Cervi exostoses illæ fronti Cervi quotannis innascentes et quotannis deciduæ. Gelatina iis inest multa, cum calcis carbonate et phosphate calcis.

Hic etiam notabimus *Cervum Alce* (Elan) similibus et ramosis exostosis nobilem; cujus solea pedis inter medicamenta numerabatur, et adhucdum à nutricibus et mulierculis requiritur, ut ex eâ monilia (Anglis *anodine necklace*) collo infantum circumducantur,

COAGULUM.

La PRESURE.

Materies albenscens, quæ vituli ventriculo continetur, verè caseosa lactisque coagulum, odore casei gravi acescente.

COCCINELLA vel Coccus Cacti.

La COCHENILLE.

Insectum hemipterum, parvum, atro-purpureum, striis transversis notatum, pulvere quasi argenteo conspersum. In regno Mexicano Cacto Opuntiae inhærens colligitur; eligendum est integrum et ponderosum.

Corallum rubrum. *Vide* Isis nobilis.

COCCUS Illicis.

Le KERMÈS ou la Graine d'écarlate.

Inter hemiptera insecta numeratur. Femina foliis et cortici inhæret Quercûs cociferæ; ova ponit, eaque contracto corpore involvit et contegit. Undè enascitur folliculus sphaericus, succo rubro plenus, antè eximendus quàm ovis insecta exclusa sint. Idem exsiccatum grani speciem refert: levis, subrubri, sapore acerbo, odore aromatico, debili.

Cornu Cervi. *Vide* CERVUS.

ELEPHAS Capensis. — Ebur.

L'IVOIRE.

Dentium Elephantis lanariorum substantia alba, densa, phosphate calcis et gelatinâ constans, Ebur suppeditat.

FEL Bovinum.

Le FIEL de Bœuf.

Ex vesiculâ felleâ mactati Bovis Tauri recens colligitur. Colore flavescente, sapore amarissimo, ingrato et nausoso. *Viulinum* quoque in usu est.

HELIX Pomatia.

L'ESCARGOT ou Colimaçon.

Locum habet inter mollusca testacea, conchâ univalvi in spiram convolutâ. Vineta frequentat, ipsius substantiæ inest sulfur. Recens habendus est.

HIRUDO medicinalis.

La SANGSUE.

Inter Annelides branchiis destitutas, non setigeras (Cuv.) numerantur Hirudines. Oculis carentes, oblongæ, rugis annulorum transversis, progrediendo in longitudinem productis; capite elongato, acuto, quò se figat querente; abdomine complanato maculis nigris et flavescens variegato; dorso convexo, nigricante, lineis à posterioribus ad anteriora quatuor flavis distincto. Os dente triplici instructum cutem incidit triquetro vulnere. Sanguinis autem copia, quam quæque hirudo absorbit, facta ex viginti hirudinibus vacuis, vivacibus, paucis exceptis inter se æqualibus, omnibus simul antè et post sanguinis missionem perpensis experimento, singularum capacitate ad calculum revocatâ, inventa fuit talis, quæ æquaret grana circiter 60 (grammata 5) non habitâ ratione sanguinis post deciduas effluxuri.

ICHTHYOCOLLA.

COLLE de Poisson ou Ichthyocolle.

Materies in gelatinam solubilis; sicca, alba, lamellis coagmentata, in lyra formam vulgò contorta. Paratur ex membranâ vesicæ natatoriae internâ *Acipenseris Husonis* (*le grand Esturgeon*). Ichthyocolle paratur quoque ex variis partibus piscium in septentrionalis Europæ fluminibus natantium, aquâ bulliundo decoctis.

ISIS nobilis vel Corallum.

Le CORAIL.

Zoophyti polypi domus, arboris in morem in ramuculos divisa, speciem extûs præferens porosi corticis, intûs marmoreâ duritie. Gonstat carbonate calcis et muco; rubor ex animali materiæ pendet.

Kermès. *Vide Coccus Ilicis,*

LAC.

Le LAIT.

Liquor albus, opacus, sapore dulci, fugaci odore, secernitur in mammis animalium quæ mammifera idcirco dicuntur. Lacte utimur vaccino, caprino, asinino, quandoque equino.

LUMBRICUS terrestris.

Le Ver de terre.

Inter Annelides branchiis carentes et setigeras numeratur, animal apo-

dum, pennæ anserinæ plerumquè crassitie, molle, cylindricam, corpore annulis distincto.

MEDULLA Bovina.

La MOELLE de Bœuf.

Materies adiposa, unguinosa, ossibus inclusa Bonm cylindricis. Habenda est quam recentissima.

MEL.

Le MIEL.

Materies dulcis sapore saccharino, quam colligunt apes (*apis mellifica*) effunduntque suos in *alveos*. Mel, ubi recens est, sat firmiter consistit; color aut albus est aut flavescens; odor et sapor herbas refert ex quibus collectum est. Præstantius habetur quod inversis alveolis spontè defluit. Quod autem pressis alvearibus exprimitur, et quod aut igne aut aquâ mediante elicitur, inferioris est notæ. Ex meridionalibus Gallie provinciis aromaticum habetur. Vastiniense (*Miel du Gatinais*) album est, quandoque citrei coloris, dulcissimum. Quod ex Armoricâ Britannâ advehitur, minoris est pretii.

Millepedes. *Vide* ONISCUS Asellus.

MOSCHUS.

Le MUSC.

Materies granosa, pinguis et unguinosa, sanguini in grumos concreto ferè similis, coloris sanguinei, sapore subacri, odore fragrantissimo; secernitur intrâ folliculum quod eminet prope umbilicum *Moschi Moschiferi*. Optimus censetur Moschus quem continent folliculi pilis flavescensibus cooperti, magnitudinem ovi gallinacii ferè adequantes.

Moschus quem folliculis expressum venditant, à pharmacopœis rejici debet, plerumque scilicet adulteratus.

ONISCUS Asellus seu Millepedes.

Le CLOPORTE.

Insectum inter aptera numeratum vivipara, ex albo cinereum; dorso convexo, segminibus coagmentatum transversis, abdomine complanato,

pedibus procedens septemparibus; ad contactum convolvitur in spheram. Rimas et loca inhabitat humida, umbrosa, nitro referta.

OSSA.

Les Os.

Pars in quadrupedum, avium, etc. corporibus dura, mollium fulcimen et retinaculum; phosphate calcis et gelatinâ præcipuè constans.

Ex ossibus gelatinâ, calcis phosphas et phosphorus eruntur.

OSTREA Edulis.

L'HUITRÈ.

Inter mollusca testacea et edulia nobilis, bivalvis; ipsius concha, constans muco et calcis carbonate multo, nonnunquam in usu est.

OVUM Gallinaceum.

L'OEUF de Poule.

Constat putamine albo, duro, fragili, calcareo; cui subjacet membranula tenuissima, tenax, semi-pellucida; quo continetur *albumen* viscosum, pellucidum; *vitellus*, in centro flavus, opacus, unguinosus; huic inhæret germen aviculæ rudimentum. Putamine, albumine et vitello in officinis utimur.

RANA Esculenta.

La GRENOUILLE commune.

Inter batrachoïdea reptilia, in pratis et ad rivos frequentissimum animal. Cute glabrâ, lævi, viscoso humore obductâ, capite complanato, ore magno, oculis eminentibus, dorso viridescente, lineis tribus flavescens distincto, abdomine subflavo nigris maculis consperso.

Mucosum liquorem fundit *sperma ranæ* aut *sperniola* dictum. (*Frai de grenouille.*)

SEBUM seu Sebum.

Le SUIF.

Adipis species alba, majori consistens soliditate; ex ruminantibus desumitur, ovibus præcipuè (*Ovis Aries*). Sebum habeatur recens, album, fragile.

SEPIA officinalis.

La SÈCHE.

Inter Mollusca cephalopoda numeratur. Hujus cuti inest solidum et osseum tegmen, quod dicitur os Sepiæ; maximâ ex parte Calcareum, constans lamellis superpositis, multiplici tuborum ordine interse coherentibus. Præcipuè in dentificiis usurpatur.

Sperma Ceti. *Vide* ALBUM Ceti.

Sperniola seu Sperma Ranarum. *Vide* RANA Esculenta.

SPONGIA officinalis.

L'ÉPONGE.

Polypodum quorundam domus mollis, elastica, rupibus inhærens marinis, formâ et magnitudine variis: multiplicibus pertusa foraminibus materie gelatinosâ plenis, quæ quò tenuiora sunt, eò habetur spongia præstantior.

TESTUDO Lutaria.

La TORTUE bourbeuse.

Recensetur inter reptilia et chelonios, corpore brevi, duro, sùs deque tegmine cooperto, superiori uno quod dicitur *carapace*, inferiori altero, seu pectorali, quod *plastron* vocatum est.

Caro testudinis edulis inter medicamentosos cibos admittitur.

VIPERA seu Coluber Berus.

La VIPÈRE.

Numeratur inter reptilia et ophidios, seu serpentina animalia. Duodecim aut quindecim pollices longa, cutis squamoso tegmine; colore dorsi ex nigro coruleo, seu ardosiæ affini, abdomine albescente, capite complanato triquetro; maxillis dentibus mobilibus instructis; superiore duobus præterea armata dentibus longis uncinatis, canaliculatis, acutis, apice fissis, basi vesiculam venenato liquore refertam tenente; qui dentes arrecti, sub ipso animalis morsu, vulnus inflictum veneno inficiunt per fissuram emisso.